

Letter 351: 22 March 1528, Strasbourg, Capito to Marguerite of Navarre

Printed as dedicatory letter to Capito's *In Hoseam prophetam* (Strasbourg, Johannes Herwagen, 1528).

Clarissimae, religiosissimae ac pudicissimae Dominae Margaritae, Reginae Navarrae, Duci Alanconii, etc., Regis Galliarum sorori, V. Fabricius Capito felicitatem optat.

Precor tibi scientiae Dei accessionem, in quo per filium eius Iesum Christum cognito salus et sempiterna felicitas consistit, clarissima regina, dilectissima soror et sponsa Christi. Quod commentaria nostra in Hoseam tibi dedicamus non est in causa, studium et ardor aliquis D. T. veritatem docendi, in quam te spiritus Christi, quo imbuta es, quotidie perducit. Nullus enim usus carnalis doctoris est, ad eam spiritus doctrinam, quam nunc tenes, ut subinde divinitus perficiendam, quia alius alium in regno Christi docturus amplius, non dicet. Cognosce Dominum, sed a maximo usque ad minimum eum cognoscent, replente spiritu terram universam superque omni carne scientia Dei tanquam aqua largiter effusa. Quemadmodum prophetae liquide praedixerunt.

Interea vero, quum regnum Christi, quam locuplete promissum est non dum eluxerit, omniaque nobis ex parte obveniant, patris erga nos bonitatem agnoscimus electi, quatenus quisque Christi mentem tenemus, adeoque iuxta id quod Christum induimus eiusque hausimus spiritum, ad laudem bonitatis Dei pro suo cuiusvis dono celebrandam indes, etiam etiamque eiusdem opera perficimur. Nemini igitur mortalium in ecclesia Christi quia tota a Deo docta est, tribuendum nomen doctoris, quod quidem in unum Christum simpliciter competit, qui est sapientia aeterna et nomen patris ad hoc selectis, olim in terris agens declaravit, quod iam in electis efficaciter declarat. Deinde consilium non est te autoritate exhortandi, ut gnaviter pergas in instituto curriculo, neque enim ad has partes obeundas mandatum accepi, et scio quid sit non missum currere. Postremo ne voluntas quidem est monendi praemuniendique te adversus pericula, quanquam omnes electos ubique gentium maxime admonitos velim, ut sedulo caveant, ne erroribus impietatique concedant, improbitate victi malevolorum hominum, qui blasphema dogmata hypocrisi telo acerrimo propugnant, confessio enim fit ad salutem. Et norim praeterea quam validis tentationum arietibus fidei tuae murus nunquam non quatitur, quandoquidem circumsepta es ventribus ignavis ob cibum et quaestum pietatem simulantibus, quorum falsus animus, quum per vitae inaequalitatem elucet, veram animi constantiam profitendi Christum sensim debilitat, emollit labefactatque atque adeo transversum agit.

Quid igitur obstat, quo minus officiose praemoneam? Obstat inquam ratio certissima. Nam conscientia imbecillitatis meae, quae semper ob oculos versatur nihil huius voluntati meae permittit, adeoque prorsus deterret, quod animo coram contemplor, quanta bonorum virorum copia, tecum redundet, ad quos eiusmodi provincia peculiariter attinet. Si cuius monenda fores, Michael Arantius, vir gravissime facundus, singulariter pius, ac tempestive diligens episcopus, officio et titulo suo pulchre satisfaceret. Neque est, quod utile dictu, tempore adiutus obticeret Gerardus Ruffus, homo ut acri iudicio, ita zelo gloriae Dei vehementi praeditus. Uterque enim ut audio concionatoris munere in aula Franciae perfungitur, cui inserta es, individua comes illustrissimae matri Heroadi viris fortissimis, prudentia, virtute, animi magnitudine pari. Amabilem praeterea et pie eruditum senem, Iacobum Stapulensem, dum libet, coram audis, libet autem, quantum scio, saepissime. Is iucunda quadam gravitate et festivitate uti sic dicam senili de fidei nostrae mysteriis, si ad hoc provocatur, quam suavissima gratia disserit, ut reliquos universae Galliae viros omittam, qui patrocinio tuo, nam non omnes fuci sunt, qui ad apiarium

istud convolant, contra crudelitatem et vim persecutorum defenduntur. Cuique illorum, vel propter vices gratiarum potius convenit, ut contendenti ad periculum cautionem, agenti quod postulat charitas modum, occupatae rebus noscendis scientiam et in evangelico cursu forte delassatae calcaria subiiciant. Ad eam rem opera mea, hominis scilicet alieni parumque idonei quid praeterea conferret? Quare hoc causae proprium est, cur D. T. hoc operis potissimum dedicem, nimirum necessitas liberandi meam fidem. Eiusmodi enim quiddam sodalibus meis, qui famulicio tuo, et noti et chari habentur, superioribus annis pollicebar. Qua equidem occasione tantum, non mearum opum, sed scientiae Dei thesaurum, tibi id genus opibus ditissimae reginae consecrans, videor operae precium quodammodo facere. Nam si leges ea quae in hunc prophetam, ut omnium difficillimum, ita divinis rebus maxime affluentem, enarravimus, nonnihil adiuvaberis, opinor, leges autem, ut es in sacris legendis perquam assidua, certe aliqua raptim leges, si minus, vel omnia iuvabunt, vel potioribus detineberis, nisi conantem forte latinum meum, ut tu dicere solita es, ferratum remorabitur. Sum enim scriptor plane ferreus, qui stilo excolendo seriam operam non ita multam collocarim. Verum enimvero sunt, qui locum unum atque alterum, quam ego latius intulerim Galliae feliciter facile donabunt. Quo lecto vel gustum aliquem totius huius prophetiae capere licebit, ne [gr.]symbolo ab his epulis discedas. Et ut in manu sit, quid pro animi sententia selegas, indicem materierum adiiciendum curavimus.

Quod si quid inde excerptum cognoscere dignaberis, evades indubie confirmator. Nam verbis depingitur, quod in te, dum Christi sensum primum indueres, verissime gestum est, et modo geritur, quoties in illum te arctius insinuas. Nam electo per extremam crucem, advenire summam salutis frequentissimis simulatque vivacissimis argumentis, singulis prope dixerim periodis, demonstrat. Praeterea Hoseae vaticinium, ut in omnes maxime competat electos, aegreque sustineat ulli mortalium peculiariter nuncupari, nam id quod omnium est, in unius privatum compendium transscribi non debet, gaudere tamen mihi quodammodo videtur, tibi ceu in ede publicae pietatis dicari. Cuius fides amplissimo Galliarum regno, tanquam exemplum credendi habetur et rarum admodum hac tempestate et multis quoque retro saeculis inestimabile nedum incognitum. Nam in delitiis regni nata educataque animum semper advertisti, ad ea quae Dei essent, incitata sane Domini timore, seminario illo filiorum regni, et initio divinae sapientiae. Quo primum extimulata per varia superstitionis opera vehebaris, id quod ex oculatis testibus cognovi. Mox in disciplinam contemplandi Deum, ut ea tempora ferebant, incidisti, quam non infeliciter, si qua in ea felicitas est, prosecuta es. Audivi enim ipse, latine praelegi epistolas duas tibi gallice scriptas, quae de essentia et potentia Dei, ad morem Nicolai Cusani apposite philosophabantur. Tandem usus edocuit non solum inanem esse multiplicem illam operum et meritorum observantiam, quae tibi sine spiritu saepenumero fuit, propterea quod, velut ex dimenso curiosissime fiebant omnia, nam ea est naturae humanae debilitas, cuius voluntati spiritus, quod est liberum Dei donum, pro cuiusvis loci ac temporis modo, non paret, sine quo tamen nihil Deo gratum esse potest.

Quemadmodum esse gratum quicquid faciunt operarii, omnes, magnifice prae se ferunt. Quae est exosissima quidem Deo qui veritatem requirit hypocrisis. Sed etiam experta es, quemadmodum philosophia ista sublimior molestiae plurimum et emolumentum parum adferat. Id quod ex incertitudine fluxaque natura eius facile coarguebas. Etenim non potuisti non sentire, quam variant istiusmodi cogitationes. Neque enim ad unum atque alterum temporis punctum, professoris animum, eiusmodi satis tranquillat, quin occultis undis vagae ratiocinationis, inter se perpetuo distrahuntur, quamlibet statum animi habitum de se foris magno supercilio praebeant. Quia super lapidem angularem Christum ipsum, quanquam religiose eundem nominant, haud consistunt. Adeo verum est quod aiunt causae debilitatem opus effectum resipiscere mortaliaque

esse, quae sunt homini mortali ex sese natae, cum renaissance nostra Christianorum quae fit per spiritum, sola aeternitate excipietur, nulla unquam creaturarum intercessione interpolanda. Hoc loco mihi videre videor, quam saepe fueris plane afflictata animo, quum sub molientis manu, gloriosa benefactorum tuorum confidentia plerumque dispareret, splendidaque ista tua philosophia sacra, de subito evanesceret, quam animo tuo anxie persuadebas et Christianam contemplationem et auspiciam esse venturae aeternitatis.

Difflexerint autem confidentiae vanae omnes necesse est ad internum lumen abdita peccatorum conspicienti. Quo in loco moestitudo in vicem spei subiit, quae resipiscentis animum perpetuo maceravit, quoad in eas tenebras illucere coeperit vera lux et vita mundi Christus Iesus, cuius adventu tenebrae omnes exolescunt. Nam eos qui sunt attriti corde, per spiritum Christi, vel ante praedicatum evangelium, nunquam non consolatur caelestis pater. Christus enim est heri et hodie et ante saecula. Ad quem electi animus aut beneficiorum aut afflictionum mole suppressus advolat. Id quod legendo prophetam patebit et vitae actae modum memoria repetens, ipsa tecum agnosces aliique de te, ut es in luce hominum posita, idem facile colligent. Nam fieri non potest, quin beneficiis Dei perfruens, omnibusque affluens rebus, quae in bonis carni habentur, utpote felicissimi regis soror, saepius pertigeris, ad secessum aliquem cordis, in quo longe infra quasi relictis creaturis, in conditorem usque uno nixu ascenditur, ubi cernere tibi licuit immensam Dei bonitatem, qua cognita, perspecta, meditataque cor ad redamandum, gratuitum illum amatorem inflammatum est. Ex benedictionibus enim adinversis, bonae mentes, ut se abnegent atque unum depraedicent fabricatorem datoremque omnium permoventur.

Interea, haudquaquam vero dissimile est, et calamitate obrutam, quia regia fortuna suam quoque miseriam habet ad cordis latitudinem confugisse, in quam continuo promicant salutare radii gratiae quae est per Christum Iesum. Nam fit plerumque ut incuriose transmissis benedictionibus, maledictionum onera, pressi ad Dominum salvatorem suspiremus. Quod si nihil aliud, quia primordia spiritus olim concepesti onerata carne repugnante ingemueris, expertaque fueris oportet, spiritum intra te, ad patrem intercedentem gemitibus inenarrabilibus, assiduo tibi obsecrantem expetentemque filiorum adoptionem et corporis redemptionem, ut est mortale immortalem degravantis animam. Cuius sensum scrutator cordium novit, et quia iuxta ipsum intercedit, exaudit protinus. Oboritur enim eo pacto vivus quispiam sensus, quo certum tenemus fore, ut renato nunc per spiritum, novum aliquando corpus, et sequax spiritui, et alienum ab his corruptibilibus affeibus affingatur. Qua quidem spe toti salvi sumus, quibus tamen altera pars, nempe corpus, tam indies damnatur, intercidit, conficitur. Haec est, ut in hac vita, vera Dei cognitio, per opera Dei, bonitatem eius in se sic perspicere. Qua tenebricosa illa, quam humana ratio laboriosissime commentatur, tota dissilit ac perit, et qua nos nostraque opera mortalia et omnes creaturae suam quam pridem nobiscum obtinuerunt, opinionem amittunt, ut in illo die solus Dominus magnificat. Neque est, quod sollicita sis, ne quando flamma haec amoris erga nomen Domini intus concludatur.

Erumpit sane, erumpit mox, felici moderatoque impetu, par os inquam et per manus, impatiens latibuli erumpit, hoc est, verbis atque factis copiose testificamur, quid de Deo intra nos constituerimus. Siquidem sensus bonitatis eius nos comprehenderit. Quo T. D. putamus adactam, ut esses miserorum fratrum tutissimus receptus, quos cruenta superstitio persequitur et ad supplicium ubique pervestigat, quo regia magnificentia et affectu plane, ut sic dicam, sororio, ope indigos, tua levas abundantia, quoque roborata perduras usque benefacere bonis, tot falsis specie verorum fratrum in tuam subeuntibus familiam, abutentibusque benignitate tua. Qui quidem nulla in re, nisi dentibus et ventribus valent, pietatemque colunt, quatenus ea ocio impio patrociniatur. Alioqui contra testimonium animi nihil dubitant abiuratas blasphemias repetere.

Quorum hominum versipellis mens, nos qui viri esse debemus, interim commovet ac perturbat prope. Tantopere visum est Deo, per infirma mundi et muliebre istud organum, fortia quaeque et magnifica omnia pudefacere. Ergo in stadio feliciter currens, de tuis factis desperas, humanam aspernaris theologiam, quam magni interim magistri nostri admirantur et qua hominis intelligentia nimium libenter se dementandam praebet. Christumque Iesum et hunc crucifixum tibi solum reservas, qui ad omne opus bonum afflatu suo solus te absolvit ac perducit.

Hac via in istum pietatis gradum evasisti, quae vulgo dicitur via crucis. Quam eandem in Israele propheta noster multipliciter et varie expressit. Nam Ephraim simulacra vitulorum adoranda, suo fretus consilio, publicitus consecravit. Urbem Dan ceu locum cultui idoneum nuncupavit. Praeceptum edixit quo se in eo regno constabiliret, quod a Domino, in possessionem certam, si credidisset, acceperat. Sed omnia ceciderunt pessime, quo pertesus sui, et minis et supplicio frequentibus extra amorem sui pertractus, tandem Dei potentiam rite moderantis omnia, per opera illius confiteatur, qui finis est universae pietatis, quemadmodum in propheta passim, et maxime ad calcem videre est. Magnum profecto exemplum, tot beneficiis affectus Israel, Deoque tam charus, postquam acceptorum obliviscitur, in omnia ruit flagitia. Tam sumus, donec in hac mortali carne degimus, mortuis operibus obnoxii. Nephario adulterio, pauperum oppressione, et nescientia Dei peccavit Ephraim peculiariter dilectus Deo. Igitur in periculo sum ego ne similiter peccem. Quocirca mihi observatu necessarium est, ne uxorem et liberos charitate Dei antepoñam, cui uni debeo honorem et dilectionem, sed qualem Christus ecclesiae, quo videlicet melior ex me reddatur. Et vicissim mulier timorem mihi debet, quatenus habitum animi eius, facere pergo meliorem. Nam si a me servitute premitur indigniore atque a Domino quem unicum revereri oportebat, distinetur, eam necessitatem utpote alligata viro, ferat placide, in vita volens, animoque exoptans nihilosecius aeterno sponso, coalescere potuis.

Ex ea mentis integritate probi exoriuntur mores, quibus mea levitas, qui viri nomen obtineo, convictu quotidiano reprehenditur. At malum illi desponsae, quae posthabito Christo, mortalem ineptius maritum deperit. Nam quia Dei est et electa ad sortem sanctorum ab isto suo obscoeno mariti amore, calamitate et malis incidentibus differetur, cui fuerit commodius nunc suapte sponte resipuisse, quam repugnantem flagris in viam cogi, quanquam novo coniugio lex annuam vacationem indulget, connivens in hoc infirmitati nostrae. Caeterum, charissima soror, agnoscis enim appellationem hanc qua summam tribuimus dignitatem. Quia tantum thesaurum fictilibus vasculis in obscuro loco circumferimus, cautione multa opus est. Eam ex Deo, si advertis ipsa audies, qui consilium suum neminem celat. Sed et ministri verbi quos in hoc alis, quia gloriam Dei charam habent, nihil huius omittent commonefacere, vel ob hoc diligentius, quod nobiscum cernant, quantam sustineas expectationem, quam sint in te oculi omnium defixi, et quam odiosis argumentis, a religionis tenore, ad prava carnis desyderia quotidie revoceris. Etenim difficile est mulieri sustinere ardua, difficilius sub infinito luxu et subdolis assentationibus, quibus pestibus necessario circumfusa es animo non labasci.

Difficillimum vero tanta autoritate et pertinacia, qua sibi adversarii veritatis sedulo patrocinantur oculos non praestringi. Quid dicam de clarissimis natalibus, nam regibus nata es progenitoribus, quid de eo, quod soror es amplissimi et coniunx gratiosissimi regis? Quid de falsis fratribus, de veris persecutoribus, de ignominia crucis, quae aulicis videtur? Potissimum autem frangere posset, quod harum rerum finem, cogitatione praecipere nequeas. Tam est infelix error triplici funiculo, quod aiunt, compactus, persuasa vulgo theologorum sapientia, speciosa coenobiorum religione et plausibili conciliorum et pontificum praeiudicio. Quo nomine Galliarum res publica praecipue male habet. Alioqui felicissima, si suis pomoeriis cupiditatem definierit. Verum Germania nostra, non ita multum hac parte praestat. Si qua libertas verbo

Domini permittitur, ea suum quoque vitium trahit, hoc est, nostris foedatur affectibus. Zelum Dei omnes quidem habemus, nam de vocatis evangelistis loquor, sed scientiam non item, quando iuxta suum quisque captum, amplitudinem spiritus moderatur, neque quicquam patitur quod intelligentiae suae mediocritatem superat. Quia suspectum habet, quamlibet pie dictum, quod a suis aliquatenus dogmatibus recedit. Vel verius, quae cum sua doctrina eadem est, si diversa tantum ratione et alio ductu tractatur, intolerabilis est. His cuniculis nova subrepat ecclesiastica tyrannis, vetere adhuc superstite.

Studio gloriae Dei sic ineptimus fateor, sed quod sit infectum nimia nostri fiducia. Quisque se alio meliorem, ac spiritu praeditum certiore putat. Quod genus peccati, absurdorum hominum malevolentia roborat, quorum nota perfidia, cautiores ecclesiarum ministros facile implet suspicionibus. Itaque cautio et studium circa pietatem, vitio nobis vertitur, propterea quod ob malorum perfidiam, fratrum bonorum sedulitatem suspectam habemus. Providendum est publicae tranquillitati, sed sic, ne prohibeamus prophetis, ne spiritus exstinguamus, ne dona Dei in utilitatem communem collata vituperemus. Alioqui cautio nostra inanis erit et noxia sollicitudo carnis, unde hae voces ore nimis fortasse procace nobis aliorum ministeria diiudicantibus excidunt. Doctissimi sunt doctores et nostro praesidio nihil indigent, quae gignit orbi scilicet, novas conciliabulorum constitutiones, quae nova episcoporum decreta, novasque leges ecclesiasticas edicit, quaeque strictioribus cancellis infinitam Dei veritatem concludere atque imperiosam in verba magistrorum nostrorum coniurationem extorquere molitur. Adeo nos, occultus amor nostri, qui crucem Domini et nostri abnegationem praedicamus exagitat, ut sua cuique, placeant impendio, displiceant aliena. Et tamen nobis videmur ecclesiarum unitati et gloriae Dei tali opera pulchre studere, nobis tamen tum animo, nostro nimium obsequentibus.

Fontem et caput huius mali puto quod analogiam fidei et gloriae Dei rationem, non tam tenemus, quam videri cupimus. Nam ingenio industriaeque nostrae tribuimus quae propria Dei sunt. Scilicet quid quaeris? Nos fulcimus ecclesiam et a nobis inchoatam expolimus atque absolvimus non Christi spiritus, quo tamen solo nata est. At ubi illud. Omnia portans verbo virtutis suae. Et, quis est Paulus, quis autem Apollo? Nisi ministri per quos credidistis et ut cuique Dominus dedit et plura id genus. Quam metuo ne ad multa invocati currentes, verbum Domini suffuremur et ecclesiis asseveremus, quod nondum accepimus a patre. Ille enim non loquitur, sicut audivit, sed ut ex se ipse confinxit, qui nocet intempestiva, atque ob id ex carne nata diligentia, quemadmodum vos inopinantes palam officimus. Nam quia boni pastoris curam pertinacius emulamur, damus operam, ut humano aliquo consilio vafricieque pericula longe praeventamus, ut viam offendiculis venturis undique obsepimus, ut omnem dissidiorum materiam, aliorum spiritum intra modulum nostrae revelationis concludentes, praescindamus. Haec omnia ut sunt prorsus humana, ita in contrarium saepius vergunt, quia unitatem praepostere afflictando, odia inter electos gravissima confirmantur. Adeo periculose labimur, ex nostri abnegatione, vel digitum latum declinantes, hoc est, quoties nobis alicuius esse videmur, nobis arrogantes omnia, vix pulvisculum, quod dici solet, Deo relinquimus et nos conservatores ac patronos pietatis, quanquam alio spectantes, argute facimus, qui id existimationis, magnis Caesaribus et pontificibus etiamnum invidemus atque iure detrahimus, a solo enim Deo fides dependet.

Quod si Deum, ut in bonis summum, ex viva spiritus scientia diligeremus, vias illius ambularemus utique non nostras, persuasi certo, quod nihil fiat sine illo, et quod omnia faciat optime, tum sane turbarum minus, et plusculum fructus ecclesiis ex nobis obtingeret, quieti solitudine, curaque incuriosa gregi prospiceremus, a vero dependentes animarum pastore, ab eius ore, pabulum verbi mutuatum caulis ovium inveheremus, quo solus Dominus, per nostram

parvitatem magnifieret. Consideranti igitur duplex inter nos dissidiorum causa esse videtur. Altera, quod proceres, qui velius faciunt, vel non magnopere prohibent praedicandum verbum, speciem quam rem evangelii fere malint, sibi que potius quam Deo gerant rem publicam. Altera, et potior quidem quia nos evangelistae aut neophyti sumus, aut a cruce alieni vitam degimus. Nam ecclesiam suam Dominus egregie stabilit, feliciter provehit et copulat arcissime per eos, qui saevitia tyrannorum, Christo victimae nusquam non cadunt. Coniunctissima super gloria Dei consensus inter illos est, cuius unius gratia mortem oppetunt, quamvis in studia de minutis interim rebus scinduntur, quas cum Christo pariter profitentes, praecipue tamen atque unice Christi professores se profitentur.

Nostro inquam vitio vitiatur unitas et concordia, quod partim rudes per imperitiam spiritualium rerum incommodemus, partim eruditi in fraudem propter ocium intempestivum pellicimur. Cuius malitia, in sui amorem, qui crucis usu, in Deum sublata sunt, paulatim reflectunt, ac recidunt in barathrum vitiorum. O nobis felicissimam crucem, quae fucum humani pectoris prima discutit, quae nobis vilitatem nostri in oculos ingerit, quae purum putumque facit studium gloriae Dei, quod alioqui tumidis argutiis domi nostrae, id est, ex occulto amoris nostri sensu prognatis inficitur. Quamobrem supra non iniuria pronunciavi, diutinam crucem, quae quae latent per Gallias ecclesiae mirifice exercentur, viam esse, ad gloriam uberiolem, quae hoc est futura solidior, quo nunc vehementius illae impugnantur. Subnascentem ecclesiam, talis decet nutritio, quandoquidem usu compertum est, crucem durissimam fomentum esse Christianis teneriusculis mollissimum, quos tanquam in herba mollioris fortunae procella praefocaret. Proinde gnaviter pergere, spirituque grandescere et proficere debemus in masculinum robur animi, quo semel omnia possimus per Christum et saturari et esurire et abundare et penuriam pati etc. Nam ad cor legis quoque benedictiones revocant, sed postea quam omnia quae in libro legis scripta sunt, etiam maledictiones obvenerint, quae sunt quasi praeexercitamenta ad iustam pietatem.

Ad hanc rem conducet, meditatio prophetarum assidua, qui fluxam rerum humanarum felicitatem, et consilium Dei certissime proponunt neque si ne sensu evidentique energia spiritus. Quem tamen quia corporalibus metaphoris impeditur proponunt et per se abditissimum arte occultant, fit nonnunquam ut intelligentia lectioni simpliciter incumbens, in foedos errores abducatur, qui sunt propterea perniciosissimi, quod se regula veritatis, id est, ipsa scriptura defendant. Quare quae mihi in omni actione, in legendis maxime sacris, observanda decreverim, agnoverimque plurimum adiuventi attulisse candide exponam. Principio siquid vel dicendum vel faciendum occurrit, id puto integrum ad Deum referendum, ut eius consilio nitar. Hoc mihi timor Domini sanctus subinde dictat, qui quidvis molienti semper in aurem oclclamat, cave, Deum antevertas. Quae ratio, voluntatem et industriam reddit contatorem, metuentemque in omnibus, de noxia carnis meae prudentia. Qui sum toties expertus, quam sit versi pellis hominis intelligentia, si lectione sacra et usu aliquo spiritus, coloratur. Quae nobis persuadet, ut magna securitate spiritum iactemus, dum nos ipsissima carnis prudentia exagitat. Deinde si quae bona cogitatio, aut de agendis deliberanti, aut aliquid scripturarum expendenti incidit, eam statuo continuandam, quoad in finem ad extremum scientiae fundum deverterit. Alioqui de re, aut scriptura aliqua inquirens, considerio quidem Deum, sed longe infra haerens, in variis locis scripturarum copulandis occupor, ex quarum comparatione, ego, utut Christo credo, doctior fortassis evado, sed non ad regnum caelorum instructor.

Humanitas enim quaesita scientia est neque respicit gustum unctionis quia inflat animum et spiritum prophanat. Nam ea via, ut inveniam plurima datur, sed quae, ut maxime in speciem sancta et pia sint, extra lapidem tamen angularem Christum Iesum, fusa, vaga, velutique

arbitraria feruntur, ventoque doctrinarum iactantur quolibet. Quod si me posthabito, in oculos Domini contendens rationem omnem tum sentiendi tum agendi ex eo accipio vim spiritus apud Patrem, pro me interpellantis mox experior, quam pridem labiis, humano institutus consilio, simulavi. Siquidem donum Dei est, quod precatione comparatur, ad scripturas autem num iustum sit, an adulterinum exploratur, quae simul valent, ut quae per unctionem tenemus, aliis reddamus certa et ut agnoscamus ea quae desint nobis, quo attentius oremus, ut is in quo plenitudo deitatis corporaliter inhabitat, suppleat quae desint. Quoquidem pacto ad doctorem spiritum amandaris, ut postules, ab eo qui dat, nempe Deo sapientiam, qui dat omnibus simpliciter neque exprobat, docere enim quae Dei sunt nescit creatura, sed filius per spiritum inducit in omnem veritatem. Accidit autem, ut huic silentio insidiosa caro sese ingerat immisceatque, quamobrem tertia adhibenda cautio videtur, qua fortiter amplector ea, de quibus sum persuasus, quod ex abnegatione mei profluxerint soleantque perducere Christo mediatore ad gloriam Patris celebrandam.

Sed ea nihilominus, cautim et observanter aliis exponenda duco. Ne cui mea imprudentia sim molestus. Atque utinam hinc nunquam exciderem, minus offenderem corda optima quos stupor meus insciens offendit et malevolis argumenta calumniarum tanta non suppeditarentur, qui nunc ecclesiam nostram longe lateque suis mendaciis traducunt. Quo in loco quia mihi interim animadverto accidisse, ut nomine spiritus, carnem in fratres contumeliosam arripuerim, tam fero modestius dissentientis asseverationem, in re quam ex obsignatione ex analogia gloriae Dei rationeque fidei, scio secus esse. Sic mecum reputans, frater nunc patitur, quam imbecillitatem tu prior et forte periculosius perpessus es. Quae me ratio a dissidio, si quod animo subolescit, retinet. Hactenus tecum de virtute prophetae et modo aemulandi eam praefari libuit. Ad ultimum, precibus efflagitamus, ut te Dominus studio gloriae suae flagrantem, amplius inflammet, adauctamque gratia, perpetuo servet incolumem in laudem bonitatis suae. Argentinae. 22 Martii anno 1528.

Finis